



S. THOMAS Aquinas orn. Prædic. Vtg. Ecclesie Doctor.

Univ. Bibl.
München

5
T H E S A U R V S

DESIDERABILIS *Prov. 21. v. 20.*

Sinè Defectione Sanctitatis *Eccl. 30. v. 23.*

Quem aperuit Dominus *Jer. 50. v. 25.*

**D. THOMAS
AQUINAS,**

Quintus Ecclesiæ Doctor.

Oratione Panegyricâ

Consuetæ Venerationi expositus

**In Ecclesia sanct: Ægidij Ordinis Prædicato-
rum Vetero - Pragæ**

A

**P. F. Apollinari Khytribio, Ord: Minorum S. P. Franc: Refor: Prædica-
tore, SS. Theologiæ Lectore Generali, & Provinciæ
Bohemiæ Diffinitore.**

Die 7. Mensis Martij, Anno 1702.



VETERO - PRAGÆ,

Typis Georgij Samuelis Beringer.

Illustrissimo ac Excellentissimo Domino, Domino

FRANCISCO ZDEN- KONI NOVOHRADSKIJ,

Sacri Romani Imperij Comiti de Colowrat, Dom: in Koschatek, May-
rhöfen, Frauenberg, Münchfeld & Merklin. S. C. R. Majestatis, Consiliario,
Actuali Camerario, Majoris Judicij Provincialis Affectori, nec non in In-
clyto Bohemiae Regno Regio Locumtenenti.

Domino, Domino ac Patrono Munificentissimo.

Signori nulla cupido, nil desiderabile latere potest; parentes etiam Gloriosissimos gen-
tilitij tui Campos adire ambit Thesaurus desiderabilis. ILLUSTRISSIME AC
EXCELLENTISSIME DOMINE, DOMINE COMES. Noster hic est Aquinas jam &
tuum esse desiderat, ut qui multis desiderabilis in tua gloriosa protectionis Sinu, desidera-
bilior fiat universis. Neque enim ambigendi locus fuerat, quod melius locandus foret, quam
quod vel natura ipsa ad ditescendum prona, vel ipsa Divina moment oracula: Nempe in
Caelo thesaurizare docent: Caelum quoddam Kolowratea illa rota est, hoc insuper de-
cus tua appendere cupit Aquila. Et quæ non minus gloriosissima quam antiquissima pro-
sapiæ nominis æterni Symbolum præsert, hic immortalitatis & indeficientiæ gloriam
tribuet: est enim: (a) Thomas Aquinas indeficiens DEI Thesaurus: Hunc igitur be-
nignus patere apud te recondi, ut ibi semper sit Cor nostrum, ubi & Thesaurus noster:
Ita precatur

ILLUSTRISSIMÆ AC EXCELLENTISSIMÆ DOMI- NATIONIS TUÆ

(a) Annuus Gabbal: expressi:

Proba.

Thomas	- - -	279.
Aquinas	- - -	411.
Indeficiens	- - -	220.
Dei	- - -	18.
Thesaurus	- - -	774.
		<hr/>
		1702.

Æternum devotissimum Studium Ge-
nerale Sancti Ægidij Ord: Præd:



ORATIO,



! *Altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei!* (a) *quæ attingens à fine usque ad finem, fortiter suaviterque disponens omnia, aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, prodncit* (b) *Ventos de Theauris suis: emittit* (c) *fontes in convallibus.* (d) *Gloria & divitiæ in domo ejus.* O *Altitudo divitiarum!* *quæ ex immensa bonitatis suæ abysslo, inopem à terra suscitans hominem, lucido intellectu*

(a) *Rom. 11. v. 33.*

(b) *Psalm. 134. v. 8.*

(c) *Psalm. 103. v. 10.*

(d) *Psalm. 111. v. 3.*

illustravit lumine, liberæ voluntatis dotavit privilegio, gratiæ suæ locupletavit hæreditate, sponfalis amoris sui subarrhavit annulo. Nihil erat homo (e) & *creavit DEUS hominem ad imaginem suam:* egebat homo (f) & *plantaverat DEUS Paradisum voluptatis:* nudus erat homo, (g) *stolam gloriæ induit eum.* O *altitudo divitiarum!* *quomodo ditasti hominem* (h) *quem gloriâ & honore coronasti, & constituisti eum super opera manuum tuarum.*

(e) *Gen. 1. v. 24.*

(f) *Gen. 2. v. 7.*

(g) *Eccl. 15. v. 5.*

(h) *Psalm. 8. v. 6.*

Sed quis est vir ille? laudo & veneror vetera, nova sint omnia, pace vestrà dixerim, Tu es vir ille Doctor Angelice, cujus celsitudinis prærogativam divinâ ità dispensante bonitate dum contemplor, dicere cogor, quòd sis, scio, quid sis, nescio: adeò enim divinæ potentiæ prodigium, arcanumque Divitiarum DEI appares mysterium, ut una Tuam non explicet definitio essentiam, nec dictio declaret proprietatem, minùs una compleat Panegyris æncòmiorum multitudinem. *Gloriosa dicta sunt de Te* (i) *Doctor gloriosissime!* dum quatuor ab hinc annis Cælum *Sapientiæ* festivè denominatus fueras, cælum soliditate doctrinæ, quasi ære fufum: Cælum Planetarum, in quo omnis complanatur doctrina, Cælum in cujus revolutione stat orbis litterarius: Cælum inquam, è quatuor sententiarum libris in quadro positum, Emphyreo simile (k) in quo *Dominus paravit sedem suam.*

(i) *Psalm. 86. v. 3.*

(k) *Psalm. 102. v. 41.*

Sed plùs ultrà! THOMAS, velut *sacratior Protheus, omnes se*


vertit in formas, qui omnibus omnia factus: Panegyricâ etenim Metamorphosi, à bino annorum perfecto termino, transmutatus in lucidissimum sydus: *Sol anni Jubilæi* fuit declaratus; dixerim ego illum Solem, qui æstuante spiritûs sui fervore, indurata peccatorum dissolvit pectora, heterodoxorum dissipavit tenebras, sedentes in umbra mortis, ad beatæ visionis perduxit lumen: verè anni Jubilæi Solem; cui perennis jubilatio in illo, quem laudant astra matutina, & jubillant omnes filij DEI; nec opticus probativæ contemplationis requiritur tubus: *Sol enim quidam est hominibus Thomas, qui totum prorsus Orbem, fulgentibus doctrinæ suæ radijs illuminavit, quippe universas illustrando gentes, cursum omnino Solis imitatus est* (1)

(1) *Salman. in Orat. exhorti:*

Gloriosa dicta sunt dum hoc luminare majus, ut & minoris in se complecteretur lumen, ante duodenum mensium circulum, inter rutilantia collocatus astra Stella Magorum est honoratus. Verè primæ magnitudinis Stella quæ ingenti splendore sanctitatis Christianum collustrat Orbem, bene sapientiæ immobilitate fixa stella, non erraticâ, cum nihil reperitur erroneum; sanè Magorum Stella, quæ tot sapientes, per omnes difficultatum vias (m) antecedebar --- usque dum veniens staret supra ubi erat puer, (n) qui factus est nobis Sapientia: jure meritò igitur dixit, qui ante quinquennium THOMAM Indicem Divinitatis edixit; Si enim illa Stella Magorum DEUM-Hominem monstravit in præsepio, Eundem THOMAS indicavit in Sacratissimo Evcharistiæ mysterio; Si aparuit in Oriente stella, THOMAS ab ex- oriente superno illuminatus lumine (o) à solis ortu usque ad occasum Sapientiæ suæ emisit radios; si demum illud sydus Bethlehemiticum cum tres coadunavit Reges, Thomas bis utraque fecit unum (p) ut loquar cum Sixto Sennensi: quatuor inter se implacabiliter pugnantiâ, indissolubili pacis fœdere conjunxit: brevitatem, copiam, claritatem, & securitatem, quæ nulli unquam Litterarum Professori, vel ante, vel post ipsum contigit connectere.

(q) *Apoc. 10.*

At ecce! dum nostra Conversatio in cœlis est: Doctor Angelicus jam ante annos viginti: *Angelus Motor extra cœlum* probatus erat, ut qui in cœlo, esset & extra cœlum similis Angelo illi Apocalyptico (q) *qui posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram: sic ergo THOMAS in cœlo & extra cœlum est? cœlestis & terrestris?*



cœlestis omnino, dum (r) ornamenta cœlorum sunt bona prædicantium, (r) S. Gregor. terrestris, dum (s) ab ipso omnes fideles sancta vita & sancta doctrina lu- hom. 30. in-
men accipiunt: in cœlo est, quia qui ad justitiam erudiunt multos, fulge- Evang.
bunt sicut stellæ in perpetuas æternitates. (t) Sed est in terra, cum ante (1) Cler.
triginta annorum spatium Beneficus Ecclesiæ Angelus solemnè dictione Gallie.
salutatus fuerat, ergo Thomas in cœlo, & extra cœlum; in cœlo luci (t) Dan. 12.
dissimum sydus, extra cœlum Scholastici firmamenti motrix intelli- ✻. 3.
gentia: Angelus cœlestis, Patronus terrestris, Gloria cœlorum, Doctor inferiorum, in cœlo coronatus, in terra laureatus, omnibus omnia factus (u) ubique & in omnibus institutus.

Verùm plùs ultra! quod in aure audijstis, prædicare super tecta, (u) Philip. 4.
publicum est; etiã cœlestis noster Protheus Doctor Angelicus, sub- ✻. 12.
lunares minimè respiciens formas, Moneta probata publicè ante trienni-
um publicè fuit approbata, ut valorem quem cœlo exhibuit, egeno
afferret mundo (x) *cujus pretium etiã qui non sequuntur admirantur.* (x) Seneca
Æstimentur nummi velut Numina, THOMAS divino Numini pre- de virtut.
tiosum numisma, signatum septuplum, septennario divini Spiritûs do-
norum numero, dirimat pecunia lites inter humana commercia, THO-
MAS aurea moneta, quâ solvuntur & persolvuntur difficultates inter
Scholarum Emporea; agat pecunia rerum terrenarum vicariam; Do-
ctor Angelicus inappretiabilis nummus est ipsis Christi Vicarijs ità
eloquentibus (y) *Angelico Doctõri, & nostro, & totius Ecclesiæ nomine* (y) Clem. 7.
plurimum debemus, etenim Catholicam Veritatem corde, opere, & ore ro- Urb. & Pi-
boravit, infinitis confutatis hæresibus, doctrinis & scientijs quàm plurimis m V.
illustravit, omnes hæreses, ante & post se profligavit.

Gloriosa dicta sunt: quotquot enim recalculo gloriosas Panegyres,
tot reperio gratiosas Metamorphoses, quot laudis ornamenta, tot &
plura exortandi argumenta. Affirmate igitur Philosophi naturam
universalem Doctor Angelicus, non plures, sed pluribus unus, com-
munem demonstrat essentiam: si namque, Viatoribus Angelus, Sol
ignorantibus, periclitantibus Stella, Index errantibus, egentibus mo-
neta, cœlum sapientibus, ergo in uno THOMA natura & essentia com-
munis. Repeto itaque Doctor Angelice, quòd sis, scio, quid sis, ne-
scio, definire debeo, sed in Summulis laudem non invenio summam,
gloriosè describere opus est, sed jam dudum divino attestante oraculo

(z) *Matth.* 13. *ꝯ.* 52. beneſcriptſit THOMAS. Attamen ſcio quid faciam, proferam (z) de *Theſauro nova & vetera*: Dicam THOMAS eſt (aa) *Theſaurus deſiderabilis* (bb) *ſine deſeſtione ſanctitatis* (cc) *quem aperuit Dominus*; & ſatis eſt!
 (aa) *Prov.* 21. *ꝯ.* 20. Theſaurus aureus eſt; Doct̄or Angelicus rutilat auro Sapientiæ, Theſaurus argenteus eſt Ille prædicationis ſonorus eſt argento, Theſaurus gemmeus eſt, THOMAS ornatus omni lapide pretioſo ſanctitatis.
 (bb) *Eccl.* 30. *ꝯ.* 23. Quòd ſi occlamaverit Zoilus, quid pauperi Franciſcano cum Theſauro? reponam eis: Theſaurus Angelicus & ſpiritualis eſt, Franciſcanæ non officiit paupertati, Theſaurus cœleſtis eſt, ad hunc ſinite parvulos & Minores venire, Theſaurus ſanctitatis eſt, licebit Sacerdoti introire in Sancta Sanctorum.

Aſt experire nunc Sacer Prædicatorum Ordo, utrum idoneum elegeris miniſtrum, cui Dominici Theſauri conſiſtiſti diſpenſationem? (dd) *Gen.* 44. *ꝯ.* 2. poſuiſti Theſaurum (dd) *in ore ſacci junioris*: inquam Minoris, Benjamin, ſed non metue, Benjamin quidem *lupus rapax eſt*, interpretatur tamen *Filius dextræ*, ſiniſtrè minimè ager: Theſaurarium elegiſti Minoriticum, ſed Theſaurus non minorabitur, quia (ee) *pauper & inops laudabunt nomen tuum*: quamvis enim adverſarium me profitear in Scholis, glorioſior erit THOMAS, quando & ipſe Antagoniſta aliena adornabit trophæa, nam nec Doct̄or Angelicus, de militia cenſeretur cœlorum, ſi tranquillam ſemper intonaret pacem; nec Doct̄or Subtilis in THOMA agnovit maculas quas argueret, ſed ſolùm illi objecit contrarium ut ſplenderet pulchriùs:

*Singula magna quidem, ſed erunt majora jugata,
 Alter ab alterius creſcit honore magis.*

(ff) *Eccl.* 4. *ꝯ.* 5. Tu verò glorioſiſſime Doct̄or Angelice (ff) *ab inope nè avertas oculos tuos*! ſupernæ gratiæ diploma impetra, ut pretium tuum valeam annunciare. Vos verò AA. OO. ut januam Aquinatici Gazophilacij aperiam, clavi benevolentiæ veſtræ favete.
 (gg) *Prov.* 3. *ꝯ.* 9. Dominus Sapientiæ fundavit terram (gg) *repleta eſt terra ſcientiâ Domini, ſicut aquæ maris operientes* (hh) AA. OO. ſubſiſtere libeat tantisper ad aquas (ii) *circumderunt me aquæ*: etiam in Doct̄ore Aquinatico ſiam aqueus, nec Theſauris ſuis privantur aquæ, quæ pretioſis abundant unionibus, æſtimabiles reconduunt gemmas, ipſum puriſſimum

Paradisi fluvius Phison progerminat aurum. Natus enim THOMAS peritissimus scientiarum nauclerus Landulpho Comite de Aquino, ab aquis suum deducens Genethliacon: huc huc advolate Musæ Heliconiæ ab undis Castalijs, ad Sacratiores properate Aquinatis latices, propinat ille (kk) *aquas Sapientiæ salutaris*. Adeste votivæ felicitatis Nymphæ, ludite in glorioso nomine * THOMAS DE AQUINO: * QUOS HAMAT IN DEO: amavit & hamavit THOMAS: amavit Creatorem omnium, hamavit homines piscator hominum, amavit quid quid pietatis, hamavit in funiculis charitatis, amavit casto præcordio, hamavit & ipsos primæ ætatis adolescentulos supernæ virtutis auxilio, siquidem vix neo-nato infantulo THOMA, libertati magis quàm libris assvetæ Juvenum indoles sese invicem *ad Scholam ad Scholam pueri*, convocabant: ità jam in cunis parvus pusio futuri magisterij præfagebat prærogativam: imò innatum pueris transvertit morem, ad litteras gaudia miscens, ubi alij stertus inchöant, dum vagientis puelli luctus solo librorum temperabatur delectu, unde non tam ex libris, quàm liberioris infantis genio legere quisque poterat THOMAM futurum auream Sapientiæ venam, & *in ea invenies Theaurum* (ll)

Intitulatus nonnunquam fuerat Litterarum Heluo à Platone Aristoteles, sed gloriosius eundem reipsa infans THOMAS abligurivit titulum, dum pendulus adhuc ab uberibus descriptum MARIÆ nomen in salutatione Angelica mysterioso absumpsit omine, jam tunc Ecclesiæ Doctor appellandus cui concessum fuit comedere (mm) *Volumen in quo Verbum scriptum est digito Patris*; MARIA namque est liber incomprehensibilis, qui Verbum Patris mundo legendum exhibuit (nn) nec proinde mirum, si THOMAS tanta edidit volumina, dum ut puer *Librum* absumpsit *incomprehensibilem*; autem itaque dicere, augusta felici prognostico, Augustini tunc rediisse tempora. quando Angelicus pusio, in scrobem tenelli pectusculi integrum absorbuisset Mare, dum MARIAM (oo) *Mare spirituale habens gemmam cælestem Christum, pelagum gratiarum*, suo conclusit corpusculo, & in hoc felicior Joanne, quem MARIA in maternis invisit visceribus, Thomam verò in proprijs. O! felicem

Aqui-

(kk) Eccl.
15. v. 3.

* Program-
ma.

* Anagram-
ma.

(ll) Eccl. 4.
v. 18.

(mm) Hymn.
Græc.

(nn) Epiph.
Orat. de
Deipara.

(oo) idem.

Aquinatem, qui non cum muliere Evangelica drachmam, sed (pp) *Theſaurum gratiarum* invenit, tunc Altiffimus (qq) qui *poſuit in Theſauris abyſſos*, in THOMA collocavit (rr) *inexhauribilem abyſſum MARIAM*, verè verè

(pp) idem
(qq) Pſal.
32. v. 7.
(rr) Epiph.
Orat. de
Deſpar.
(ss) Pſalm.
41. v. 8.

Conveniunt rebus nomina ſapè ſuis.

THOMAS interpretatur *abyſſus*, & cœleſtium chariſmatum abyſſum reperit MARIAM, ſic *abyſſus abyſſum invocat* (ss)

Adoleſce nunc tenelle Puſto, adoleſce, non medullis leonum ut Hercules, ſed cœli paſtus edulio, vive felicior novelle Antoni, qui non unum in gemma bibiſti regnum, ſed Theſaurum cœleſtem decomediſti; creverat in majorem ætatem *ſilium accreſcens*, ut & in majorem creſceret virtutem, fieretque translatus melior, ad Caſſinum, non in caſſum ſe ſe contulit, ut quinquennis à Benedicte addiſceret bene dicendi artem, futurus eloquentiæ Theſaurus. Perge fortunatiſſime Litterarum Tyro (tt) *tanquam iubes mittes eloquia Sapientiæ tuæ*, perge ad capeſcenda doctrinæ prima elementa, in gloriæ tuæ componentur monumenta. Abivit, ſed inter Rhetoricæ perorationes, devotiſſimas ad DEUM fudit orationes, inter artis & ſcientiæ Regulas ad optimæ vitæ reſpexit leges, diſcendo doctrinam, attendit ad diſciplinam, quia (uu) *in Theſauris Sapientiæ ſignificatio diſciplinæ*: habent namque hoc ſacratiora germina, quòd fructuum abundantiam ſpondeant in flore, nec careat prodigijs eorum infantia, qui ad inſignem præelecti ſanctitatem, ut vix naſcantur ad vitam jam adoleſcant ad virtutem.

(rr) Eccl.
39.
(uu) Eccl. 1.
v. 31.

Latebaturque aliquamdiu Angelicus Adoleſcens inter Benedicte antra, ſimilis (xx) *Theſauro abſcondito*, reponabant inter ſepta clauſtralia, velut in ſcrinio pretioſiſſima gemma, quia (yy) *inventum Theſaurum abſconditur ut ſervetur*: recondebatur ſub humilitatis terra nobiſe talentum, ut Sol divinitatis penetrantibus gratiarum radijs terrena inviſens viſcera, mundanæ ſcoriam ſelectiſſimum excoqueret in aurum; ſed quia *Sapientiæ clamitat* in (1) *Ambroſ. plateis*, (zz) non poterat ille deliteſcere in eremo, cui (I) *Theſaurus cœleſte erat deſiderium*: ibat igitur corpore, properabat aſſectu,

(xx) Matth.
13. v. 44.
(yy) Greg.
hom. 11. in
Evang.
(zz) (1) Ambroſ.
de Vid.

fectu, volabat intellectu, tendebat conatu ad metam amorum suorum. Ast quo, quo, Angelice viator? nonne (2.) *maligni spiritus*, (2.) *Creg. hom: 11. in Evang:* iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident, deprædari desiderat, qui *Theaurum publice portat in via*, actum est! instructas fratrum incidit insidias, retinetur, apprehenditur, abducitur, custoditur in castro S. Joannis, ut alter Joannes in vinculis.

Ad arma igitur, ad arma! (3.) *accingere gladio tuo superfermurtuum* fortissime pro virtute Athleta! quia *nemo coronabitur nisi qui legitime certaverit* (4.) progrediamur AA. OO. spe&emur duellum sine excommunicationis timescenda sententia, erit pugna, non pugnis, sed voluntatis resistentia. Adest hostilis vis unita fortior, mater, Fratres & Sorores, mater maternum designat amorem, postulat reverentiam, accedunt lacrymæ, ut marmoream emolliant constantiam; succedit Frater, perfringere tentat virtutis propugnaculum: adsunt Sorores binæ ut Syrenes, cantillant ut vacillet, concertant ut asportent unicum divinæ vocationis Theaurum. Quid adhæc THOMAS? Matri spondet reverentiam, Fratri observantiam, Sororibus castum amorem, DEO obedientiam: valedicit Matri, vale exoptat Fratri, bene precatur Sororibus, Religiosæ se adscribit pietati; prudentior Ulysses obstruens aures, & solutâ lingvâ Sorores, sacras castitatis efficit Thesaurarius, jam tunc pia instaurans Gynæcea, fundaturus quondam Gymnasia.

Vicisti hucusque THOMA, vicisti! sed nunc Acharonta moventur, stygia immittitur Medusa, adest prostibulum ut prostituat: maeste animo Angelice Juvenis, cui (5.) *Timor Domini ipse est The-saurus*, fuga, depelle, abige, propulsa, detrude, ejice immundissimum scortum: ita, ita, fecit, & vicit, pervigilans Dominici excubabat canis, ne Cerberus noceret, pollutæ manus non valebant castitatis levare gemmam, hunc nunquam maligni spiritus possidebant thesaurum, qui semper sub Angelica fuit custodia, THOMAS foribus signum induxit crucis, ut velut binis vestibus melius obserraret aditum, ac personatum Erebi genium, solo crucis deterreret signo.

THOMAS generosus mundanæ fallaciæ debellator, gloriosus ab hostibus triumphator, non perfractis carceris ostiis liberum

- sibi apparabat egressum, quia ostia destruere noluit, qui *cardo Sa-*
 (6.) *Judic. 16.* *pientia* esset futurus, non ut Sambson (6.) *consurgens apprehendit*
 ✻. 3. *ambas portae fores cum postibus suis*, (7.) *non confundetur cum lo-*
 (7.) *Psal. 126.* *quetur inimicis suis in porta*, sed placuit THOMÆ exire per fene-
 ✻. 10. *stram*, vel sic assimilandus Doctori Gentium, extiturus Ecclesiæ
 Doctor. Fuge, fuge dilecte, non est inglorium ab incendijs fu-
 gere, ab undarum fluctibus se eripere, à tenebris festinare ad lu-
 cem, à servitute redire ad libertatem. Cum verò Litterarum Sci-
 entia, mentalis THOMÆ Paradisus esset, Lutetias Parisiorum se
 contulit, ut inter lilia apis argumentosa mel doctrinæ colligeret,
 (8.) *Cant. 2.* *dilectum suum qui* (8.) *pascitur inter lilia* quæreret, coronaretur
 ✻. 16. *lilij*, qui jam purpureis inter spinas patientiæ rosas, amœnis hu-
 militatis violis, flammisque Divini amoris solsequijs adornatus
 erat. Et quia Magnos magna decent, ac Thesauros possident Ma-
 gnates, THOMAS in Magistrum sortitus est Albertum Magnum,
 ut Majorennis Scientiarum fieret hæres, ipsumque inter Doctores
 acquireret Majoratum. Sed ecce dum (9.) *bonum est præstolari*
 ✻. 26. *silentio salutare DEI*: THOMAS bos mutus appellatur; dicite, dicit
 (10.) *Eccl. 1.* *dicite cavillatores bovem mutum* (10.) *Dominus in medio Ecclesiæ ape-*
 ✻. 5. *riet os ejus, & adimplebit illum spiritu Sapientia & intellectus*: dicite
 bovem! brevi Sapientiâ plenum mutabitur in Cherub: natus ad la-
 bore præcoci non labitur passu, sed firmiter figens pedem, ad-
 versariorum non dimovebitur machinis: dicite mutum! non om-
 (11.) *Eccl. 9.* *nis loquentia est eloquentia* (II.) *verba sapientium audiuntur in si-*
 ✻. 17. *lentio*, resonabit vox ejus, & quasi tuba exaltabit eam.
 Jam ergo in suo clausa Conchylio, aperta splendescit gem-
 (12.) *Eccl. 0.* *ma*, desiderabilis hominibus adaperitur Thesaurus, nam (12.) *Sa-*
 ✻. 32. *pientia absconsa, & Thesaurus invisus, quæ utilitas in utrinque?* THO-
 MAS prodit in publicum Major Alexandro, qui non unum ense,
 (13.) *Jerem.* *sed acutissimâ intellectus sui acie*, omnes difficultatum dissolvit
 50. ✻. 37. *nodos gordios*, quia (13.) *gladius ad Thesauros ejus*: est non alium
 (14.) *Eph. 6.* *intelligo, quàm* (14.) *gladium spiritus quod est verbum DEI*. Adeste
 ✻. 17. *sublimia Scholasticorum ingenia*, novum hunc contemplantini
 (15.) *Brev. Rom.* *Doctorem, qui* (15.) *publicè Philosophos & Theologos summa cum lau-*
de est interpretatus: agite in balancem firmissimum THOMÆ intel-
 lecte-

tellectum, agite & constantissimam ejus voluntatem, ponderate, trutinare, librate, judicate utriusque Thesauri pretium! edicite, majorne THOMAS in Ecclesia DEI ab intellectu, vel voluntate? à faciendo, vel docendo? à contemplando vel amando? certabit pro intellectu prioratu Cherubinatorum perspicacitas, stabit pro voluntatis praelatura Seraphinorum charitas, exhibet intellectus consideratæ divinitatis viam ordinatissimam, divinorum attributorum, idæas distinctissimas, mysteriorum lucem clarissimam, veritatem in obscuris manifestam, contingentium prædeterminationem cum libertate infallibilem, præteritorum universale Archivum, Scientiarum pleno concessu synedrium, longè venturorum præsciam Pharum, Artium liberalium emporium celeberrimum. Quid voluntas? pandit in THOMA cœlestis amoris thymiana, gratiæ thesaurum, sæcundam bonorum operum tellurem, Virtutis cultricem, honestatis effigiem, morum castigatricem, moderatricem affectuum, appetitûs dominatricem, augustam potentiarum Reginam. Satis, satis libratum, & deliberatum, probatum & approbatum: Intellectus & Voluntas THOMÆ in æquilibrio subsistit ejusdem pretij, æqualis ponderis, similis valoris, paris magnitudinis bipartitus Thesaurus, cognoscebat intellectus, amarus voluntatis erat affectus, ille perspexit, illa dilexit, ille dirigebat, hæc regebat, ille contemplabatur, hæc dominabatur, in illo visio, in hac beata fruitio, in utraque potentia triumphus; si enim Doctor Angelicus collocandus inter Cherubin, reponendus etiam erit inter Seraphin, qui Seraphicis ita ardebat amoribus, ut & Doctorem Seraphicum Bonaventuram speciali prosequeretur affectu, quasi duo Seraphin alter ad alterum clamarent divinx laudis trisagion. Galliarum igitur liliata Litterarum Palæstra, excultum Coloniae musæum, Oxoniensis Scientiarum domus, tot Collegia, Academiae, universæque Universitates salute THOMAM in Epomide Philosophum, in Galero Doctorem, in Pallio Theologum, in omnibus *Thesaurum desiderabilem*, ex quo proveniunt (16.) *divinitia salutis sapientia & scientia.*

(16.) Isa. 33.
v. 6.

Verba movent, exempla trahunt, delectat affectus, perplacet effectus, pulchrum est docere, pulchrius in facto exhibere, quia

- (17.) *Matth.* (17.) *qui fecerit & docuerit hic Magnus vocabitur* : nōne Magnus
 5. 19. Doctōr Angelicus qui docuit, & fecit, speculatus & operatus, do-
 ctrinam in verbis, exempla monstravit in factis: docuit THOMAS
- (18.) *Brev. Rom.* (18.) *quia nullum erat Scriptorum genus, in quibus non esset diligentis-
 simè versatus*; fecit & ille, quia (19.) *nunquam se lectioni aut scriptio-
 ni dedit, nisi post orationem*: docuit Doctōr Angelicus, nam (20.)
Rom. *qualibet quæstionum quas determinavit, & quilibet articulorum quos
 (20.) Joānes scripsit, unum est pro se miraculum*: sed & fecit: quia (21.) *fuit certif-
 XXII. sima Christianæ doctrinæ & morum regula*: docuit THOMAS, dum
 (21.) *Pius V.* à Gregorio pro facilitando Concilio Lugdunensi deputatus, totum
 Concilium ab uno THOMA audiebat Consilium; fecit autem, quia
- (22.) *Joānes XXII.* (22.) *omnium virtutum erat exemplar*: docuit, qui (23.) *divinæ vo-
 luntatis interpres veracissimus* — — *qui sinè omni prorsus errore scripsit*:
 (23.) *Clem. VIII.* fecit etiam, prout omnia gloriosæ ejusdem canonizationis acta ve-
 ridicum exhibent testimonium; ergo THOMAS ab utraque intel-
 lectūs & voluntatis potentia obtinet Majoratum, erat docens & fa-
 ciens, speculativus & practicus, velut ipsum veritatis & bonitatis
 objectum, attributionis

Verè igitur THOMAS *Thesaurus desiderabilis est*, qui in se ve-
 lut in nuce inclusam virtutis & Sapientiæ continet iliadem: *The-
 saurus desiderabilis*, quem intenso desiderio Sancta Mater desiderat

- (24.) *Orat. Festi.* Ecclesia ut (24.) *quæ docuit intellectu conspicere, & quæ egit imita-
 tione complere valeamus*: *Thesaurus desiderabilis*, quem mille votis
 Orator Concilij Tridentini anhelavit: *Huic uni THOMÆ non modo
 in Theologicis Definitionibus, in quibus, ut ità dicam, divinus est, sed &
 in Juris prudentiæ studijs plus debeat, quàm infinitis Jurisperitorum com-
 mentarijs, dum solidè vi, rationibus invictis, per omnes adversantes,
 viam sibi alijsque sternens, in quem totus ardeo, flagroque.* Deside-
 rate hunc Thesaurum Scientiarum Proceres, nam THOMAS (25.)
 (25.) *Sap. 7.* *Sapientiæ Dux est, & Sapientium emendator*: anhelate rudes, THO-
 7. 15. MAS (26.) *Doctōr parvulorum*, docebit vos viam prudentiæ: exoptate
 (26.) *Isa. 33.* Reges & Principes, THOMAS *præposuit Sapientiam regnis &
 7. 18. sedibus, & divitiis nihil esse duxit in comparatione illius*: desiderate
 omnes Thesarum hunc desiderabilem, nam in uno THOMA (27.)
facta sunt divitiæ & multa gloria.

Vidistis AA. OO. Theaurum Aquinaticum, sed non perspexistis, cognovistis, sed non comprehendistis; edixi, at necdum dixi, plus ultra! THOMAS magnarum alarum Aquila est (28.) *quis novit viam aquila in caelo?* doctrinae classis est, *quis scrutabitur viam navis in medio mari?* Sapientiae firmamentum est, *quis stellas enumerabit?* THOMAS nomine & omine *abyssus* est, *profundum abyssi quis dimensus est?* (29.) plus ultra! (30.) *non enim est finis thesaurorum ejus.* Perfecit & consummavit Theologiae Summam, etiam in hoc unico Summis adnumerandus Doctoribus, Scientiam divisit in partes, tota tamen in toto, & tota in partibus, quia Angelica doctrina: Artes liberales distinxit in articulos, ut studioso Viatori quasi digitis indicaret veritatis semitam, cunctas denique eruditionis ita perambulavit ambages, ut errantibus demonstraret viam, nescientibus praebere doctrinam, dubitantibus affirmaret veritatem, omnibus foret elargitor (31.) *ad dandam scientiam salutis.* O Altitudo divitiarum! quantum in hoc uno thesauro contulisti pretium! si desideratur Tullij eloquentia, in THOMA Bernardea stillat mellifluenta, si Aristotelis petitur sagacitas, in illo Angelica reperitur perspicacitas, Platonis exoptatur acumen, ab illo scientiarum inexhaustum profluit flumen, omnibus unus Thomas, unus in omnibus.

Anne saltem jam finis Theauri Aquinatici? THOMAM nequeo definire, quomodo finis? non valeo eloqui, quomodo Epilogus? non possum invenire terminum, & quomodo ultimum? plus ultra! Verum AA. OO. parcite si parcius eloquar, ad magnitudinem hujus Theauri, lingua non datur attingere, liceat depingere, ac velut in stabula geographica paucis lineolis exhibere illud, quod per intellectus argumentum poterit accipere augmentum. Recolite felicissimum illum populo Hebraeo diem, in quo si non emollita, certe contrita divinis flagellis impij Pharaonis contumacia, tandem egressus est de Aegypto in terram promissionis; recolite terrorem illum, quo pavidi ac trepidantes percussi sunt Aegyptij, dum fontes, stagna ac flumina in cruentum vertebantur sanguinem, ablata luce, densissimae obscurarent tenebrae, ac fulmineus Angeli percutientis gladius in interfectorum primogenitorum cadaveribus moestissimam fecisset stragem. Recolite murmur illud, fre-

(28.) Prov.

30. v. 19.

Thomas interpretatur abyssus.

(29.) Eccl. 1.

v. 2.

(30.) Is. 2.

v. 7.

(31.) Luc. 8.

1. v. 77.

- mirumque lætissimum, dum sexcenta Hebræorum millia, in specie triumphantium potius, quàm de servitute egredientium, ex Ægypto discesserunt, hostium suorum spolijs, auro argento, vestibusque pretiosissimis secum jubente Domino ablatis. Sed (32.)
- (32.) *Matth.* 21. *¶. 16.* *cujus est hæc imago? quis revelatâ veritate hæc adumbratam illuminabit picturam? en lucidissimum Affricæ lumen, inclytus Hipponensium Præsul, Sapientiæ suæ radijs, fugat tenebras, depellit umbram, elucidat obscurum, adumbratos etenim in Hebræis Ægyptiorum spolia ferentibus veteres esse Patres ostendit, qui gentiles Philosophos velut Ægyptios auro & argento, scientiâ scilicet & sapientiâ spoliârunt, suamque mox ita concludit sententiam: (33.)*
- (33.) *lib. 2. de doctr. Christi. cap. 40.* *Nonne aspiciamus quanto auro & argento & veste suffarcinatus exivit de Ægypto Cyprianus Martyr beatissimus & Doctor suavissimus? quomodo Lactantius, Victorinus, Hilarius? quanto innumerabiles Græci? quod prius ipse Moyses fecerat, qui -- eruditus fuerat omni sapientiâ Ægyptiorum: quàm lucido colore hujus figuræ illuminata est imago! at eodem penicillo elaborata pictura in Thesaurò conspicitur Thomistico. THOMAS felicior (34.) verus Israelita in quo dolus non est, non Ægyptum sed gentiles spoliavit Philosophos, dum scientiæ omnigenâ illorum suppellectile universam locupletavit Ecclesiam, nullum siquidem Scriptorum genus, in quibus non esset diligentissimè versatus. Lustrate spolia, quæ jubente Domino glorioso attulit triumpho! & invenietis Philosophorum argumenta, Oratorum ornamenta, Poëtarum deliramenta, Historicorum monumenta, versa in laudabilium doctrinarum documenta.*
- Si verò in ore duorum vel trium testium stat omne verbum (35.)
- (35.) *Matth.* 18. *¶. 1.* hæc non esse commenticia, nedum præclara THOMÆ exhibent Commentaria, sed integra testatur *Catena Patrum*, quam ille in artificiosissima intellectûs sui fabricavit officina, repræsentans Apocalypiticum illum *Angelum descendantem de cælo habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua* (36.) quàm solidè Doctor Angelicus concatenavit, dum sapientissima Patrum oracula ita concinnavit, ut non unum, sed unitum, distinctum, non divisum, aggregatum, non separatum, absolutum non dissolutum, gloriosum & copiosum hujus indefectibilis Thesauri videatur pretium. Testantur

stantur totis viribus omnes illæ virtutes, quas dum subtilissimo suo in Tractatu pertractavit ingenio, simul gratioſo practicavit exercitio, illas dum loquebatur, proſequebatur, dum ſpeculabatur, operabatur, utroque Theſaurum adornavit decore. Sed nec in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum, ſufficit unum divini oris oraculum: *bene ſcripſiſti de me THOMAS.*

Triumphæ Angelicæ Doctõr! triumphæ! ſubſcribimus Tibi, dum pro tuis ſcriptis tantum immenſæ Majeſtatis obtinuisti reſcriptum, publicatus eſt Theſauri tui indeficiens valor ſummi Regis Patentibus: ità, ità, aperuit Dominus Theſaurum ſuum (37.) *Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enunciat* Eccleſia: enarravit ipſe Chriſti in terris Vicarius, dum ità laudavit (38.) *Omnipotentis DEI providentiã factum eſt, ut Angelici Doctõris ſi & veritatis doctrinã ex eo tempore quo cœleſtibus civibus adſcriptus fuit, mul- ræ quæ deinceps exorta ſunt hæreſes confuſæ & convictæ diſſiparentur: quod & antea & liquido nuper in ſacri Concilij Tridentini decretis apparuit, ſi quid Controverſiæ aut ambiguitatis exortum fuiſſet, communibus votis tanquam ad Lydium lapidem referendum exiſtimabant: enarravit diſertiffimus Concilij Tridentini Orator, dum ità peroravit: non potuit Divus THOMAS Eccleſiaſticis intereſſe Concilijs, morte præventus, verùm ecce ſuperſtes, atque in æternum victurus vobis adest, bona ſua, ſpirituales Theſauros doctrinæ, hæreditario vobis jure delegavit, nulla proinde ab ejus ſelici tranſitu Concilia ſinè ſacro Doctõre celebrata ſunt.*

Deſine jam mirare Sancta Mater Eccleſia! impium crepantibus buccis clamantem Calvinum: *tolle, tolle THOMAM, & diſſipabo Eccleſiam:* non dixit, tolle è medio auguſtam Auguſtini doctrinam, Ambroſij cœleſtem ambroſiam, veridica purpurati Hieronymi commentaria, Gregorij prope divina volumina, ſed tolle THOMAM, & tolles Auguſtinum (39.) *cujus anima videtur migraviſſe in THOMAM* confirmantibus ſummis Pontificibus (40.) *THOMAS æquè ac Auguſtinus ſua doctrinã Eccleſiam DEI illuſtræ, & exornat: tolle THOMAM, & Eccleſia Theſaurum ſuſtulisti. Quid ultra? plus ultra! ſed non poſſum ultra, THOMAS Theſaurus ſinè defectione eſt, non deficiet, deficiet, deficiam ego, ſi non datur ſuffi-*

(37.) *Eccleſ.*

39.

(38.) *ex bulla Pij V,*

mirabilis

Dem & c.

(39.) *Volu- ſiam:*

(40.) *Ur- ban: & Pius*

V.

- sufficienter effari, præstabit reverenter venerari. Venerare igitur Sacer Theologorum Cætus THOMAM tuum Rectorem Magnificum (41.) *Dominus voluit, ut sanctificaret eum, & magnificaret & extolleret.* Venerare Clarissimum Juris prudentiæ Collegium, clariorem tuum Justinianum (42.) *coram eo justitia inventa est, & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem.* Venerare THOMAM Excellentissima Medicorum Facultas, THOMAM feliciorum Galenum, qui non herbis, sed salutaribus verbis sauciatarum peccatis animarum vulnera curavit. Venerare tuum Doctissima Philosophorum Palæstra Magistrum ! bene concludes cum THOMA, qui glorioso compendio Summam Scientiarum in sua conclusit *Summa.* Venerare Facunda Oratorum cohors, tuum sacrationem Tullium, THOMAS aurea eloquentiæ vena (43.) *dans eloquia pulchritudinis.* Veneremur omnes Doctorem Angelicum, qui factus est nobis *Theaurus desiderabilis, sine defectione sanctitatis, quem aperuit Dominus.*

svarez Tom. 4. de Relig.

Gaude itaque, exulta & lætare Sacra Prædicatorum Religio, quæ Theaurum possides ! felicem te Ordinem dixerim, ex quo tantus Sapientiæ & Scientiæ prodivit ordo. Beatam Te nominaverim Prædicantium Familiam, ex qua talis prodivit Filius, qui ab omnibus prædicetur. Hinc nolo in reliquis tua deprædicare merita, cum ipso tuo Te prædicas nomine, quod semper in magno reponitur Prædicamento: non hic tuos pro Ecclesia volo rimare labores, vel ideo solum: quod omnes admirentur, unum Ordinem, tot & tantos pro illuminanda Ecclesia DEI subministrare viros, imò non paucos per annos raros fuisse in sacra doctrina conspicuos, qui hujus Familiæ non fuissent Alumni. Sufficiat igitur sicut Philippo unus Alexander, ita Tibi unus THOMAS: in Hoc enim (44.) *infinitus Theaurus est hominibus, quo qui usi sunt participes facti sunt amicitia DEI.*

D I X I.

A. M. D. G.